

contrarium docuerunt, & adhuc dôcent. Sic Gregorius conjugium Sacerdotibus esse restituendum voluit; Posteriores autem negârunt. Idem statuit, cum esse præcursorum Antichristi, qui nomen Universalis Episcopi assume-ret; quod Posteriores tamen assumerunt. Plura hujus notæ videantur apud Chamierum Panstrat. Catholic. Tom. I. lib. 3. cap. 13. His etiam addi possunt de Pontificibus, ad enormem illam, quam illis, etiam supra Con-cilia, Bellarminus tribuit, autoritatem evertendam, tanquam duo Corol-laria; quòd multi fuerint Hæretici, & multi impii, prophani, atque scele-rati. Hæreticos fuisse inter Pontifices ex ipsis Pontificiis Scriptoribus multi fatentur. Præcipui inter alios fuerunt Eleutherus, Liberius, Felix, Ana-stasius, Honorius, atque Johannes vigesimus secundus, quorum hæretica dogmata fusè percenset, ac à Pontificiorum, sua Ecclesiæ capita quôvis modô purgare conantum, exceptionibus vindicat, Chamier. loc. cit. capp 9, 10, 11, 12, & 13. Et in hæresin prolabi posse Pontificem ipsum fatetur Jus Canonicum, disertè pronunciârunt non pauci Papistæ, atque argumentis probat idem Chamierus eôdem librô cap. 8. Sceleratos etiam & impios fuisse, ipse Platina in Vitis Pontificum, atque alii plurimi Historici testan-tur; Tales fuere, ut aliquos saltem in scenam producam, Stephanus sextus, Sergius tertius, Johannes duodecimus à plerisque numeratus, à nonnullis decimus tertius, Sylvester secundus, Bonifacius octavus, Benedictus deci-mus tertius, ac denique Alexander sextus, quorum scelera impietatesque enumerata habentur apud Chamier. loc. cit. cap. 6. Hujus autem farinæ hominibus an in S. Scripturâ interpretandâ Dei affulgere Spiritus, vel veri-tates divinorum eloquiorum investigandi ac demonstrandi inesse Facultas, & talis possit, qualem exaggerat Bellarminus, competere Autoritas cuius-libet, cui sincerum est sinciput, & sana in sanô corpore mens, judicio relin-quimus, atque permittimus.

3. Sic fuit primum, alterum argumentum deducimus ex Conditionibus, quas in verô Interprete requiri statuunt Theologi, ex quibus talem facimus syllogismum. Infallibilis S. Literarum Interpres, nec errare, nec partium studiô duci, nec provocationi locum relinquere; sed ad assensionem cogere, certâque homines cognitione imbuere potest. At Ecclesia, Patres, Concilia, Pontificesque Romani possunt errare, partium studiô duci, &c. Ergo non sunt infallibles Sacrarum Literarum Interpretes. De Majore cap. 4. §. 10. verba fecimus. At minoris confirmationem (præter ea, quæ in primi Argu-menti probatione attulimus, & quòd Ecclesia & Concilia hominibus con-stant, & Patres, & Pontifices homines sunt, à quibus istæ conditiones ab-eſſe possunt) per partes procedemus. Et quidem primò Ecclesiam errare posse, patet ex eō, quod Eucharistia etiam infantibus communicata fuerit  
apud